

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum sit potissima virtutum? 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

tum quia tales delectationes sunt magis nobis naturæ
les, & ideo difficilis est ab eis abstinere, & concupi-
scientias earum refrænare; tum etiam quia earum obie-
cta magis sunt necessaria præsenti vitæ, vt ex * dicit
pater. Et ideo temperantia ponitur virtus principalis
sive cardinalis.

*ar. 4 his
ius 3.*

Ad primum ergo dicendum, q[uod] tanto maior ostendit
agentis virtus, quanto in ea quæ sunt magis di-
stantia, potest suam operationem extendere. Et ideo
ex hoc ipso ostenditur maior virtus rationis, quod po-
test etiam concupiscentias & delectationes maximè
distantes moderari. Vnde hoc pertinet ad principali-
tatem temperantie.

Ad secundum dicendum, quod impetus iræ cau-
tar ex quodam accidente, puta ex aliqua læsione con-
tristante. Et ideo cito transit, quamuis magnum im-
petum habeat. Sed impetus concupiscentie delecta-
bilium tactus, procedit ex causa naturali: vnde est
diuturnior & communior. Et ideo ad principaliorem
virtutem pertinet ipsum refrænare.

Ad tertium dicendum, quod ea quorum est spes,
sunt aliora his quorum est concupiscentia. Et pro-
pter hoc spes ponitur passio principalis in iracibili.
Sed ea quorum est concupiscentia & delectatio ta-
ctus, vehementius mouent appetitum: quia sunt magis
naturalia. Et ideo temperantia quæ in his modum ita-
tuit, est virtus principalis.

ARTIC. VIII.

Vtrum temperantia sit maxima virtutum?

690

A. Octauum sic proceditur. Videtur, quod tem-
perantia sit maxima virtutum. Dicit enim Ambros.
in primo de * Offic. quod in temperantia maximè ho-
nesti cura, decoris consideratio spectatur & queritur.
*L. L. c. 43.
in princ.
to. 1.*

Sed virtus laudabilis est, in quantum est honesta &
decora. Ergo temperantia est maxima virtutum.
¶ 2 Præterea, Maioris est virtutis operari id quod
est difficilis. Sed difficilis est refrænare concupiscen-
tias & delectationes tactus, quæ redificare actiones ex-
teriorum.

170 QVÆ S T. CXLI. A R T. VIII.
teriores, quorum primum pertinet ad temperanciam,
secundum ad iustitiam. Ergo temperantia est maior
virtus, quam iustitia.

¶ 3 Præterea, quanto aliquid est communius, tan-
to magis necessarium videtur esse, & melius. Sed for-
titudo est circa pericula mortis, quæ rarius accidunt,
quam delectabilia tactus, quæ quotidianie occurunt: &
sic usus temperantiae est communior, quam fortitudi-
nis. Ergo temperantia est nobilior virtus, quam
fortitudo.

li. 1. c. 9. S E D contra est, quod * Philosoph. dicit in primo
non mul Rhetor. quod maximæ virtutes sunt quæ alijs maxi-
sū apri. mè sunt viles. Et propter hoc fortes & iustos maxi-
eo. 6. mè honoramus.

li. 1. c. 2. R E S P O N D E O dicendum, quod sicut * Philo-
soph. dicit in 1. Ethic. bonum multitudinis diuinus
est quam bonum unius. Et ideo quanto aliqua virtus
magis pertinet ad bonum multitudinis, tanto melior
est. Iustitia autem & fortitudo magis pertinent ad bo-
num multitudinis, quam temperantia: quia iustitia
consistit in communicationibus, quæ sunt ad alterum.
Fortitudo autem in periculis bellorum, quæ sustin-
etur pro salute communi. Temperantia autem mode-
ratur solum concupiscentias & delectationes eorum
quæ pertinent ad ipsum hominem. Vnde manifestum est
quod iustitia & fortitudo sunt excellentiores virtutes
quam temperantia, quibus prudentia & virtutes theo-
logicæ sunt potiores.

Ad primum ergo dicendum, quod honestas & de-
cor maximè attribuuntur temperantiae, non propter
principalitatem proprij boni, sed propter turpitudi-
nem contrarij mali, à quo retrahit, in quantum scil-
licet moderatur delectationes, quæ sunt nobis & hu-
bris communes.

Ad secundum dicendum, quod cum virtus sit cetera
difficile & bonum, dignitas virtutis magis attenditur
secundum rationem boni, in quo excedit iustitia, quam
secundum rationem difficultatis, in quo excedit temperantia.

Ad

Ad tertium dicendum, quod illa communitas qua aliquid pertinet ad multitudinem hominum, magis facit ad excellentiam bonitatis, quam illa quæ consideratur, secundum quod aliquid frequenter occurrit: in quarum prima excedit fortitudo, in secunda, temperantia. Vnde simpliciter fortitudo est potior, licet quo ad aliquid possit dici temperantia potior, non solum fortitudine, sed etiam iustitia.

QVÆST. CXLII.

De vitijs qua aduersantur temperantia, in qua uor articulos diuisa.

D Einde considerandum est de vitijs oppositis temperantie.

- ¶ Et circa hoc queruntur quatuor.
- ¶ Primo, vrum insensibilitas sit peccatum?
- ¶ Secundo, vrum intemperantia sit vitium puerile?
- ¶ Tertio, de comparatione intemperantie ad timiditatem.
- ¶ Quarto, vrum virium intemperantie sit maximè opprobiosum?

ARTIC. I.

Vrum insensibilitas sit vitium?

691

A D primum sic proceditur. Videtur, quod insensibilitas non sit vitium. Dicuntur enim insensibilis qui deficiunt circa delectationes talus. Sed in his penitus deficere, videtur esse laudabile & virtuosum. Dicitur enim Dan. 10. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum tempus: panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum: sed neque vnguento vnguis sum. Ergo insensibilitas non est peccatum.

2. eth. lib. 8. c. 9. 3. et

l. 3. le. 21. 60. 2.

¶ 2. Praeterea, Bonum hominis est secundum rationem esse, secundum *Dionys. cap. 4. de Diuin. nom. Sed abstinere ab omnibus delectabilibus talus, maximè promouet hominem in bono rationis. Dicitur enim Dan. 1. quod pueris qui vtebantur leguminibus, dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia. Ergo insensibilitas quæ vniuersaliter repel-

c. 4. p. 4.

non mal-

tum pro-

cul a fi.